



9



an 32

Decorative border on the left edge of the page.

D

EPITHALAMION.

In festiuitatem plenam

Nuptiarum secundarum & fustarum, quas celebrat
Magnificus, Nobilissimus, nec non usu & experientia Spectatissimus Vir,

DN. HENRICUS à BORSTEL/

Capitaneus & Consiliarius Anhaltinus, rei q; militaris Commissarius dignissimus,
secundum SPONSUS

CUM

Nobilissimâ & Florentissimâ Virgine,

SUSANNA RHÆMIANA,

Viri Nobilissimi maximèq; strenui,

DN. STEPHANI à Khâmen Hæreditarii in Hove dilectâ Filiâ,

SPONSA.

die 13. Decembris Anno Epochæ Christi: 1623.

Anagrammatismus.

HENRICUS VON BORSTEL CAPITANEUS ANHALTINUS
ἀναγραμματισμὸς (r t i n e versis) Huc!
SPONSE NOVELLE TIBI CHARA SUSANNA VENIT.
ἐπιθάλμιος.

N Physicis Physici sua plurima dogmata ponunt,
Tradunt, propugnant, illaq; certa vocât.
Sed non sunt semper Physicorum dogmata vera,
Edoctus tali quod ratione probô:
Nam statuunt partes nequaquam consolidari
Spermatikas, (vena, nervus & ossa velut)
Nec semel amissas recrescere nec reparari,
Pars etiam talis costa vocanda venit.
At tua morte ferâ perit dulcissima conjux,
Que tibi, dum vixit, splendida costa fuit.
Perdita Costa tibi nunc Sponse Nouvelle recrescit,
Dum Tibi post Annam Chara Susanna redit.
Cedite vos igitur Physici rationibus istis,
Excedunt vestras nam documenta ^{θεσις}.
Hactenus assuetus sine compare, Sponse, fuisti
In viduo solus procubuisse toro.
Nunc iterum vitem secundam repperit Ulmus,
In thalamumq; tuum blanda Susanna Venit.
Promeritus Berenburgi Capitaneus audis,
Nunc caput uxoris, que tibi nubet, eris.
Summus militie Præses cum laude fuisti,
Nunc castæ Veneris bella subire paras.
Hæc nova vita novos à te modò postulat usus,
Poscebat veteres pristina vita modos.
Ergo tuæ Veneris collum versare memento,
Ulmus ceu vitem mutuo amore fovet.
Vosq; columbatim conjungite labra labellis,
Alter & alterius certet amore frui.
Hæc etenim dicunt bellissima bella vocari
Quorum solus eris Dux, Eques atq; Pedes.
Non opus est armis, quid spicula Martis amanti?
Nam sine vulneribus præda petita cadet.

Præda petita cadet sine cede & sanguine, quondam
Victoremq; suum prole beabit ovans.
Hæc erit egregia victoria digna triumpho,
Posteritasq; tuum nomen in orbe colet.
Sic tandem præstans & magnus habebere semper,
Magnus in æde sacrâ, magnus es inq; toro.
Magnus militie, præstans in Principis aula,
Vis dicam verbo? Magnus ubiq; clues.
Magnos magna decent, parvi dant munera parva,
Pro parvis opibus mania quisq; struit.
Magni magna ferant, mihi cum fortuna negarit
Divitias Cræsi, munera parva fero.
Carmina parva fero; nec enim tibi magna vel auro
Exornata Arabum pocula ferre queo.
Hoc igitur vultu letanti suscipe votum,
Quod voveo, votum det Deus esse ratum!
Vivite felices multos feliciter annos,
Vividus adsit Eros, Invida desit Eris.
Sponse tue Sponse, tum Sponsa juvamina Sponso
Vivite, Nestoreos & superate dies.
Pax Pietas, Fortuna, torum, mentemq; domumq;
Ornet, alat, decoret, prole, salute, bonis.

ECHO cum ACROSTICHIDE.

Hæc Sponsus Sponsæ, respondet Sponsaq; Sponso:
E xoptata mihi fuit Uxor bella,
S olamen possit suppeditare,
N am mors uxorem mihi sæva peremit,
U nde mihi mæror non levis extat,
R edditur ecce mihi nunc florida Virgo,
S ic scit Jova suis addere dona,
I n thalamis nostris ea mox recubabit,
A ltera ceu Conjux, quæ modò Dia,
C hara Susanna fides tibi sit delata,
N ostraq; pacta tibi sint, rogo, grata,
V ivere nunc studeas mecum mansueta,
N unc & in amplexus Sponsa venito,
S uavia mille feres; DEus adsit utriq;
A c det post vitam dulce levamen,
Moris & honoris, Gratulationis & subjectionis
ergo
Deproperabat
JOACHIMUS OTTO Colbergâ-Pomer.
SS. Theol. Studiosus.

SERVESTÆ,

Typis ZACHARIÆ DÖRFFERI, ANNO M DC. XXIII.

DR. THEOPHILUS BOKER

an 38

Faint, mostly illegible text in the right-hand column, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Extremely faint text at the bottom of the page, including what appears to be a date "M DC XXIII" and other illegible markings.



ULB Halle
002 677 830

3



56

Nv 1999

(1/69.)

VD 17





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Gray	Light Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Gray	Dark Black

